Quelle: https://manuscripta.at/?ID=889
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

22

continuata labore deficeret. ac periret humanitas. et ut animan
tibus quibusdam. que lucem solis ferre nequeunt. ipsis etiam bestiis que
presentia urentur humana. discurrendi usque ad victum queritan
di copia suppeteret. iuxta quod in dei laudibus psalmista decantat.
Sol cognovit occasum suum. posuisti tenebras et facta est nox. in
ipsa pertransibunt omnes bestie silvarum. et cetera. Quam mira provisio crea
toris ita temperavit. ut vel ob solis longinquitatem rigidior ibi
ad opera brevianda et fovenda sit menbra pluvior. qui et in
hyeme quam estate universo orbi longior. et in ipsa hyeme mul
to scythis quam afris est productior. sic etiam estate multo longior
in scythia. quam in affrica dies flagrat. Nam si non tanto bre
vior quanto ardentior. lybia dies fureret. totam nimirum iam
dudum consumeret. Noctis sane partes sunt. vii. Crepusculum.
vesperum. conticinium. intempestum. gallicinium. matutinum. dilucu
lum. Crepusculum est dubia lux. Nam creperum dubium dicimus. hoc
est inter lucem et tenebras. Vesperum apparente stella eiusdem nomi
nis de qua poeta. Ante diem clauso conponit vesper olympo. Contici
nium. quando omnia conticescunt. id est silent. Intempestum media nox. quando omnibus
sopore quietis nichil operandi opus est. Gallicinium. quando galli cantum le
vant. Matutinum. inter abscessum tenebrarum et aurore adventum. Dilu
culum. quasi incipiens parva diei lux. Hec et aurora pertingens. usque
ad solis exortum.

DE EBDOMADA. VIII.

Ebdomada grece a septenario numero nomen accepit. huma
na quidem consuetudine septenus solum acta diebus. sed scripture sacre
auctoritate multis speciebus insignis. Que tamen cuncte ni fallor. ad u
nam finem exspectant. nos scilicet ammonentes. post opum bonorum perfec
tionem in spe sancti gratia perpetuam sperare quietem. Prima ergo singularis illa
ebdomada. et a qua cetere formam capescunt. divina est operatione subli
mis. quia dominus sex diebus mundi ornatum conplens septima requievit
ab operibus suis. Ubi notandum quod non ideo senarius numerus est perfectus. quia dominus
in eo mundi opera perfecit. sed sicut augustinus ait. ideo dominus qui omnia simul crea
re valebat. in eo dignatus est operari. quia numerus est ille perfectus. ut etiam
per hunc opera sua probaret esse perfecta. qui suis primus partibus impletur. id est sex
ta tercia et dimidia. que sunt unum duo et tria. et simul sex fiunt. Huius ex
emplum divine ebdomadis secta hominibus observanda mandatur.
dicente domino. Sex diebus operaberis. et facies omnia opera tua. Septi